DVO SERMONES DE BEATA VIRGINE MARIA, DEI GENItrice, noſtra Domina: unus S. Hieronymi, in eius laudem: alter Mart. Lutheri, in eius iniuriam, qui Diuinis eſt ſcripturis confutatus.

CAN. IIII.

Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.

Item Can. VI.

Quæ eſt iſta quæ aſcendit ſicut aurora conſurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata.

M. D. XLVIII.

2

NAPOLI

ILLVSTRIS SIMÆ AC GENERO SISSIMÆ PRINCIPI AC DOMI næ, Dominæ CHRISTINÆ, Lantgrauiæ Haßiæ Comitiſſæ Katzenelebogen &c. Natæ du ciſſæ, Saxoniæ, Lantgrauiæ Turingiæ, Mar chiomißæ Miſniæ, Dominæ meæ Gratioſæ.

ILluſtrißima ac Generoſißima Princeps, clemens Domina. Illuſtri Gratiæ ueſtræ offero inprimis deuotas preces meas & ſubiecta ſtudioſe obſequia mea. Clemens Domina, Notum eſt forſitan, aut non eſt, Illuſtri Gratiæ ueſtræ, quod Catholicus ac lauda

tiſsimus Princeps GEORGIVS Dux Saxoniæ &c. dum uiueret, Ill. Gratiæ ueſtræ Naturalis Pater, fœlicis ac laudatæ memoriæ: Exiguam perſonam meã, poſt obitum Domini Hieronymi Emſeri, piæ memoriæ, Dreſdam in Miſniam hinc clementer euocauerit, atque ibidem honeſte ac ſufficienter Eccleſiaſtico beneficio prouiderit mihi, ac tandem Canonicatum Cathedralis & ingenuæ Eccleſiæ Miſnenſis, Iure Patronatus Paruitati meæ (ſine omni petitione mea aut aliorum interceſsione) ultro conceſſerit & contulerit: De quo ſane illi perpetuas & hic et in futuro ſæculo gratias ago et habeo. Quanquam

illo

illo tempore, ante annos XX. hic quoque bene mihi prouiſum eſſet, et ego dilectam genitricem meam non libenter poſt me relinquerem: Quæ ſenio confecta, & infirmitate corporis inualida, non poterat tam longe hinc proficiſci, tandemque hic & mortua & ſepulta eſt. Ego tamen clariſſimo & Catholiciſſimo Principi nihil denegare aut recuſare poteram, cum eſſet uſque adeo cõſtans in fide, uirtuoſus in uita, & in externo regimine, erga omnes ſub ditos ſuos, ſiue nobiles ſiue ciues agricolæ aut plebei forent, prorſus fidelis, ac tam prudenter atque paterne curam eorum gereret, ſeque omnibus iuſtum & equum exhibe-

Præconia Ducis Georgij.

ret, in bona pace & honeſtiſsima
Obijt hic Dux Georgius Anno 1539. mēſe Aprili. *uitæ conuerſatione. Quod ſi in hāc uſque horam ſuper uixiſſet, multum profecto incommodorum detrimentorumque & perditionū præcaueri potuiſſet pulcherrimarum eius prouinciarum, & egregie extructarum urbium, quæ in mercimonijs alijſq; lucrandi & uictum quæritandi exercitijs magnum habebant incremētum, dum ſub eius regimine tam pacifice agere, ac ſecure uictum ſuum quærere atque parare poterant.*

Iniuriæ Luthe. cōtra Ducem Georgium. *Attamen probus & electus Princeps iſte non parum moleſtiarum, iniuriarumque & detractionum pertulit, ac pacis gratia patienter ferre ſolitus fuit, a mordaci ac*

ſupra

ſupra modum proteruo ac elato Monacho, Luthero, Qui nouũ Euangelium (quod laudatiſſimi Principes Saxoniæ, Turingiæ & Miſniæ, antea cõtra Huſſitas & Pighardos Regni Bohemiæ, acerrime conſtantiſſimeque ac animoſe, corporib. & bonis ſuis impugnauerãt) in ſupradictis prouincijs exuſcitauit ac infauſtæ introduxit. Atq; per hoc ſupradicto Principi, Ill. G. V. parenti, multum inſolentiæ per conuicioſa ſcripta, multumque odij ac rebellionis apud ſeductos ſubditos per calumnias irrogauit ac intulit. Id quod Illuſtriſſima Generoſitas ueſtra probe nouit, et in cõuitioſis famoſisq; ſcriptis Lutheri

uidere potuit. At ſi ſapienti, religi
oſo ac rerum expertiſsimo Principi
paritum fuiſſet, & eius conſilijs ob
obſequutum, multa profecto incō-
moda damnaq́; tum in Eccleſiaſti-
cis tum in ſæcularibus negocijs &
cauſis præueniri ac euitari potuiſ-
ſent. Hæc Ill. G. ueſtræ obedienti
ſtudio fideliq́; intentione & cordia
li compaſsione, in honorem & me-
moriam laudatiſsimi Principis pa-
tris ueſtri, Dilectiſsimi Domini
mei dicta celare nolui, cum adiecta
humili prece, ut Ill. G. V. clementer
in bonā partē accipiat. Deus Opt.
Max. omnē tribulationē, turbatio-
nemq́; et in commoditatem tum Ec-
cleſiarum tum Reip. in Germania

in quas per nouuum Lutheri Euangelium incidimus, per immenſam gratiam & miſericordiam ſuam, in gaudium tranquillitatem, pacemque & ſalutem, clementer conuertere dignetur: Vt in domo Domini rurſus in Catholica unitate & fide Chriſti pacifice ac unanimiter ſimul habitare poſſimus, ſicut uixerunt & fecerunt antea pij Maiores noſtri. Datum apud S. Victorem prope Moguntiam, Die III. Iulij Anno Domini M.D.XLVIII.

Illuſt. Gratiæ ueſtræ.

Humilis ſacellanus Ioan. Cochlæus. Doctor etc, Canonicus Vratislauienſis.

SERMO S. HIERONYMI, DE FESTO ASSVMPTIOnis Mariæ uirginis Dei genitricis, ad Romanas ſanctimoniales, in Bethlehem Deo ſeruientes, ante M & C annos ab eo ſcriptus & exhibitus.

Non Sophronius Paulæ & Euſtochio tractatibus loqui conſueuerat ſicut fecit Hiero.

COgitis me o Paula & Euſtochium: immo charitas Chriſti compellit, qui uobis dudum tractatibus loqui conſueueram, ut nouo loquendi genere, ſanctis quæ uobiſcũ degunt uirginibus, latino utens eloquio, exhortationis gratia ſermonem faciam, de aſſumptione beatæ & glorioſæ ſemper uirginis Mariæ, more eorum qui declamatorie in Eccleſijs ſolent loqui ad populum. Quod utiq; genus docendi necdum attigeram. Sed quia negare nequeo, quicquid iniungitis, nimia ueſtra deuictus dilectione, experiar, quæ hortamini affectu, infantium more balbutientium,

tium, qui quæcunq; audierint fari geſtiunt: cum necdum poſſint ad plenũ uerba formare. Maxime quia propter ſimpliciores quoſq; id me depromere compellitis, ut habeant ſermone latino, quibus ſe occupent laudibus ex eadem die, quibus ue diuinis uacent lectionibus: præſertim cum & eadem in multis feſtiuitatibus multorũ ſanctorum patrum ſtudia miro cuderint eloquio, quæ de hac quidẽ uberius ubiq; in ſcripturis diuinis prædicata leguntur. Quid enim aliud ſonant Euangelia: niſi naſcentem dominũ ex Maria uirgine, & omnia eius incrementa, quouſq; fuit in mundo duntaxat diuinis efferunt preconijs? Porro ab ſancti Euangelij exordio, Gabrielem Archangelum colloquentem Mariæ audiſtis, & deinceps reliqua omnia plenius didiciſtis. Ad præſepe quoq; o Paula, te teſte, nato puero multitudinem angelorum inter crepundias noui partus & querelas neſcij ploratus pro-

Viſſo Paulæ ad præſepe domini.

pro Feſcēninis, gloria in excelſis deo, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis cantantem audiſti, & radiantem ſtellam uidiſti, paſtoribus inſuper euangelizantibus credidiſti. Magos præterea tria deferentes munera in uiſione beatis oculis inſpexiſti, ipſi eadem munera bene intelligendo uotis omnibus fide Deo obtuliſti. Nam & cum eiſdem magis Deum puerum in præſepio adoraſti. Sed forte conqueſta me delatorē, quod te prodiderim, clamabis. Ad quod ego. Si celatū eſſe uolebas, teſte conſcientia mihi narrare ante præſepium, ubi plurimum lachrymata es, non debueras. Quod ut uerum fatear, Chriſti præconia etiam ſi uoluero adiuratus, neq; tuas laudes omnino tacere queo. Idcirco tuæ te interrogent filiæ, quas lacte nutris, tu ea melius reſerabis, quæ neſcio ſi per ſpeciem aliquam, certe autem in ſpiritu uidiſti. Vnde uos o filię pulſate matrem precibus: pulſate ad oſtium inuitan-

De eadem uiſione ſcriptum habetur in Epitaphio Paulæ.

uitantis amici, ſi quo modo tandem aperiantur , quæ reſerata ſunt matri. Verum de his quid plura dicam? Omnia ſaluatoris geſta & beatæ Mariæ Virginis obſequia, nec non actus uitæ, ex Euangelio didiciſtis, & nunc quid ſupereſt, ut ab aliquo Doctore requiratis? De aſſumptione tamen eius qualiter aſſumpta eſt: quia id depoſcit ueſtra intentio, præſentia abſens ſcribere uobis curaui, quæ abſentia Præſens deuotus obtuli: ut habeat ſanctum Collegium ueſtrum, in die tantæ ſolennitatis, munus Latini ſermonis, in quo diſcat tenera infantia, lactis experiri dulcedinem, & de exiguis eximia cogitare: qualiter fauente Deo per ſingulos annos, tota hęc dies expendatur in laudem et cum gaudio celebretur. Ne forte ſi uenerit ueſtris in manibus illud Apocriphũ de tranſitu eiuſdem uirginis, dubia pro certis recipiatis, quod multi latinorum pietatis amore ſtudio legendi, charius am-

Liber Apocriphus de tranſitu Marię.

plectuntur, præſertim ex his cum nihil aliud experiri poteſt pro certo, niſi quod hodierna die glorioſa migrauit à corpore. Monſtratur autem ſepulchrum eius cernentibus nobis uſque ad præſens in uallis Ioſaphat medio; quæ uallis eſt inter montem Syon & montem Oliueti poſita, quam & tu o Paula oculis aſpexiſti, ubi in eius honore fabricata eſt Eccleſia miro lapideo tabulato, in qua ſepulta fuiſſe, ut ſcire poteſtis, ab omnibus ibidē prædicatur, ſed nunc uacuum eſſe cernentibus oſtenditur. Hæc idcirco dixerim, quia multi noſtrorum dubitant, utrum aſſumpta fuerit ſimul cum corpore an obierit relicto corpore. Quomodo autem aut quo tempore, aut quibus perſonis ſanctiſsimum corpus eius inde ablatum fuerit, uel ubi tranſpoſitum, utrum ne reſurrexerit neſcitur. Quamuis nonnulli aſtruere uelint, eam iam reſuſcitatam, & beata cum Chriſto immortalitate in cæ-

Sepulchrū Mariæ in ualle Ioſaphat.

Poſt 40 dies corpus quoq; Mariæ aſſumptum fuiſſe creditur reuelatione diuina.

leſtibus ueſtiri. Quod & de beato Iohanne Euangeliſta eius miniſtro, cui uirgini à Chriſto uirgo commiſſa eſt, plurimi aſſeuerant, quia in ſepulchro eius, ut fertur, non niſi manna inuenitur, quod & ſcaturire cernitur. Veruntamen quid horum uerius cenſeatur ambigimus, melius tamen Deo totum cui nihil impoſsibile eſt committimus, quàm ut aliquid temerè definire uelimus autoritate noſtra, quod nō probemus. Sicuti & de his, quos cum Domino teſte Euangelio reſurrexiſſe credimus, ſed utrum redierint in terræ puluerem, certum non habemus, niſi quod legimus, *Matth. 27* quia multa corpora ſanctorum, qui dormierant ſurrexerunt, & uenerunt in ſanctam ciuitatem (ſcilicet Ieruſalem) & apparuerunt multis. De quibus nonnulli doctores ſenſerunt, etiam in ſuis reliquerūt ſcriptis, quod iam in illis perpetua ſit completa reſurrectio. Fatentur enim, quod ueri te-

ſtes

ſtes non eſſent, niſi & uera eorum eſſet reſurrectio. Vnde et beatus Petrus dixiſſe legitur, cum de Dauid loqueretur, Et ſepulchrũ inquit eius eſt apud nos, quaſi non ſit auſus dicere, quod ipſe aut corpus eius apud nos eſt, ſed tantum ſepulchrũ quo conditus fuerat. Hinc aiunt reſurrexiſſe & ipſum cum cæteris ſanctis, & ideo uacuum remanſiſſe monumentũ, uti nunc beatæ Mariæ cernitur. Quod ſane factũ & de alijs, quibuslibet locis ſcripturarum firmare conantur, quod hi iam cum Chriſto regnent reſuſcitati in æterna ſocietate. Quod quia Deo nihil eſt impoſsibile: nec nos de beata Maria factum abnuimus, quanquam propter cautelã ſalua fide pio magis deſiderio opinari oporteat, quàm incõſulte diffinire, quod ſine periculo neſcitur. Vnde de his, ex quibus certi ſumus, tantiſper loquamur, exhortationem ueſtram qualicunq; ſermone ad ædificationem & laudem nominis

Dei

Dei,ut & religio conſeruetur pro famulatu, & deuotio augeatur pro affectu. Quoniam hæc eſt uirgo quę ſola interemit uniuerſam hæreticā prauitatem, ſola ſit poſt eum, quæ nos confirmet in omni ueritate, ſuiſque commendet meritis, et precibus auxilietur, ut & ipſi digni inueniamur, in eius laudibus. Quod ſi quæritur poſt aſcenſionem Domini quid egerit? unum pro certo eſt, quia uirgo Sancta corpore ac mente permanſit. Quam ſane Angelus Gabriel ac ſi cæleſtis paranymphus intactam cuſtodiuit, & Ioannes Apoſtolus & Euangeliſta, cui Chriſtus eam de cruce commiſit: uirgo uirginem ſeruauit, ſuiſque deſeruiuit obſequijs: Nō quod eximius ille ſanctorum chorus Apoſtolorum eam deſeruerit, inter quos poſt reſurrectionē intrans & exiens, ille, qui familiarius contulit de Chriſti incarnatione, tanto ſiquidem uerius, quanto ab initio plenius per ſpiritum ſanctum cuncta

didicerat et perſpexerat oculis uniuerſa, licet & Apoſtoli per eundem Spiritum ſanctum omnia cognouerint, & in omnem edocti peruenerint ueritatem. Quam ſane beatam uirginem etſi omnes uenerati ſunt diſcipuli, eiuſque famulabãtur officio dilectionis: Ioannes tamen amplius ac ſpecialius uſque ad finem uitæ, qui ſibi commiſſam accepit in ſua, quaſi matrem filius, cui benignus Magiſter de cruce inquit. Mulier ecce filius tuus. Ad diſcipulũ aũt Ecce mater tua: ut uirgo uirgini cohęreret: ut deſeruiret officioſiſsime cura adoptionis. Nõ enim pudiciſsima uirginitas alicui diſcipulorum rectius quàm uirgini commendatur, ut eſſet adinuicem grata ſocietas, & floridus aſpectus, nec non et uenuſtus conuerſandi uernans alternatim pudicitiarum ſplendor decoratus. Vna ſiquidem uirtus in ambobus uirginitatis, ſed altera proportio in Maria, altera quidem, quia fœcũdior: ſed ipſa, Ipſa

uero

uero ſed altera, quia & ſi ipſa eademque incorruptio, tamen fœcunditas integritatis longe glorioſior quam uirginitas: idcirco & fœcunditas in illa tota deidificata eſt & uirginitas, &c.

Hic ſermo laudabili & antiqua conſuetudine in Matutinalibus precibus legitur in Cathedrali Eccleſia Eyſtetenſi, multis iam ſæculis, Quare audiendi non ſunt Lutherani aut Zuingliani; ſi dixerint, hunc ſermonem non eſſe S. Hieronymi, ſicut impie dixit Lutherus de ſacratißimis quibuſdam noui Teſtamenti libris, nempe de Epiſtolis S. Iacobi, Iudæ, & ad Hebræos, atque etiam de Apocalypſi Iohannis: In qua tot affirmat eſſe myſteria ſeu ſacramenta, quot uerba, ipſe idem S. pater Hieronymus. Itaq; nec Eraſmi Roterodami cenſura de Authore huius ſermonis recipienda eſt. Infirmis enim nititur argumentis, tanquam ſtylus conuincat, authorem fuiſſe Græcum, eo quod dicat, Latino utens eloquio. Quamuis enim S. Hieron. multa ſcripſerit latine ad Paulam & Euſtochium, nunquam tamen ad eaſdem hoc nouo loquendi genere latine uſus fuerat. Quippe tractatibus antea illis loquutus fuerat, nō

Verus huius ſermonis Autor S. Hieron.

Iniqua Cēſura Eraſ. Rot.

ſermone declamatorio, more eorum qui declamatorie in Eccleſijs ſolent loqui ad populum, Quid rogo apertius dicere potuit, ad conteſtandum ſe huius ſermonis uere Authorem fuiſſe? Neq; urget illud huius ſermonis uerbũ, ad ſuſpicandum alium quám Hieronymum fuiſſe authorem, quod ait, Infantium more balbutientium. Quamuis enim in libris & Tractatibus eloquentiſsimus & exercitatiſsimus fuerit Hieron. tamen in declamatorio genere loquendi ad populum nequaquam fuerat exercitatus: Sicut & Eraſmus ipſe hoc noſtro æuo in declamatorio hoc loquendi genere minime fuit exercitatus, quantumuis eloquens & exercitatus fuiſſe uideatur in ſcribendis libris & Epiſtolis.

Temeraria diuinat o.

Quód autem diuinat Eraſmus, huius ſermonis Authorem fuiſſe Sophronium, hominẽ Græcum, Infirma profecto eſt hæc diuinatio, quæ nihil ſolidi habet fundamenti, quo probabiliter ſuſpicari liceat, Sophronium potius quám Hieronymũ fuiſſe authorem. Sophronius enim etſi multa Hieronymi ſcripta ex latino in græcum uerterit: nullam tamen affert rationem Eraſmus, qua quis uel tenui ſuſpicione leuiter conijcere debeat, quod idem Sophronius tam docte ſcribere, latine potius quám græce, uoluerit aut potuerit ad illas uirgines, ſicut potuit, & ad petitionem Paulæ & Euſtochij uoluit

luit ac fecit S. Hieron. Adde, quod Eraſmus ipſe fatetur multa eſſe in hoc ſermone, quæ poſtea in Epitaphio Paulæ ab eodem Hieronymo (quod nemo dubitat) ſcripta fuiſſe reperiuntur. Quomodo igitur probabit aliquis, Paulam narraſſe Sophronio ſuam uiſionem de uagitu pueri deq; angelis canentibus, quæ narrauit S. Hieronymo, ſicut ex Epitaphio Paulæ clariſſime probatur? Non eſt igitur in hac ſua Cenſura probandus aut recipiendus Eraſmus, qui tam infirmis contra Hieronymum utitur coniecturis.

Cæterum contra hunc inſignem & eruditum de laudibus B. Virginis Mariæ ſermonem S. Hieronymi, ædidit ante 24 annos impium & nefarium, nugis & ſcandalis plenũ ſermonem, teuthonice ad populum declamatum Martinus Lutherus, cõtra quem ego latine ſcripſi, & in publicum ædidi CCCCC articulos ex XXXVI ſermonibus eius excerptos, Quos Coloniæ excudendos tradidi Petro Quentellio piæ memoriæ Typographo, anno Domini 1525. Quo ſane tempore uehementiſſimus erat furor ſeditioſorum Ruſticorũ, qui propter nouum Lutheri Euangelium inſurgebant armati, non ſolum contra Eccleſiaſticos uerumetiam contra ſæculares Principes & ſuperiores ſuos. Ne uero prolixior, ac per hoc moleſtior

500 Articuli ex 36 ſermon. Luth.

ſiat omnium articulorum cōmemoratio, & quantumuis breuis ac ſuccincta confutatio. Ex uno tantum ſermoue Lutheri, quem in feſto Natiuitatis Mariæ ad populum declamauit, XVII. articulos commemorabo, breuibus a me reprobatos olim reſponſionibus.

SERMO LVTHERI,

CONTRA FESTVM NATIVItatis Mariæ iam olim ad populum habitus & in publicum æditus.

1 Lutherus. Nunc ſinimũs & nos Mariam uenerari, ex quo in ſcripturis tenemur nos inuicem prȩuenire honore, ſicut Paulus ad Romà. 12.

Cochlæus. Precario igitur a Luthero habet ueneratione mater Dei, ita tamen parce ab eo conceſſam, ut ipſa nobiſcum, iuxta eius præſcriptum, illam obſeruet ſcripturam. Honore inuicem præuenientes Roma. 12. Alioqui nullum ei a nobis honorem permittet aut concedet.

2 Lut. Sed nimis profunde in honorem itum eſt, quod ſublimius reputatur, quam oportet. Inde duo dãna prouenerũt. Imminutio Chriſti, quod corda

corda magis ſuper ipſam repoſita ſunt, quam ſuper ipſum Chriſtum. Quod Chriſtus quaſi retro in feneſtram repoſitus eſt, & eius penitus oblíti ſunt.

Coc. *Rectius canit ſancta mater Eccleſia dicens. Sancta & immaculata uirginitas, quibus te laudibus efferam ✝ neſcio, quia quem cæli capere non poterant, tuo gremio contuliſti. Omnis certe honor noſter meritis & dignitate illius inferior eſt. Non reputamus eam Deam, ſed matrem Dei. Neque inhonoratur Chriſtus, dum honoratur mater eius. Ex eo enim laudamus illam.* *alias referam*

Lut. Sed adhuc maius damnum inde prouenit. Quod etiam cōmuni populo facta eſt imminutio. Quod matrem Dei & ſanctorum cultum & uenerationem ita alte extulerunt, ut per hoc pauperum ſint obliti. 3

Coc. *Ita ne maius eſt damnum, ſi quid imminuatur populo, quàm ſi fiat imminutio Chriſto? aut ſi pauperū, quàm ſi Chriſti obliuiſcamur? Nemò laudat, ſi obliuiſcaris pauperum, quos Deus elegit in hoc mundo, diuites in fide & hæredes regni, Iacob. 2. Qui enim habuerit ſubſtantiā huius*

mundi, & uiderit fratrem ſuum neceſſe habere, & clauſerit uiſcera ſua ab eo, quomodo Charitas Dei manet in eo? 1.Ioan.3. Ait autem Dominus. Hæc oportuit facere, & illa non omittere, Matth.23. Dá igitur pauperibus & inuoca ac ueneraré ſanctos, utroq; indiges bono, pro redimendis & remittēdis tibi tot peccatis & offendiculis.

4 Lut. Iam Monachi uoluerũt mulierum honorem celebrare, & eã tam alte extulerunt, atq; ut hoc confirmarent, oportuit eos mendacijs uti, & ſcripturam eo torquere quo non pertinet.

Coc. Improba eſt hæc & nimium ſcurrilis in Monachos, atq; etiam blaſphæma in matrem Dei calumnia, quod ad complacendum mulieribus, ſic per mendacia Mariam extulerint Monachi. Sed audi uir impie & impudice. Nõ ſolum Monachi, ſed etiam ſanctæ Moniales & omnes honeſtæ matronæ uirginesq́; & uiduæ Mariam deuote laudant & implorant Elizabeth enim repleta ſpiritu ſancto exclamauit uoce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus uentris tui. Et unde hoc mihi, ut ueniat mater Domini mei ad me? Si ergo tã magnifica dicta ſunt ei militanti,

litanti, cur minora dicamus iam triumphanti?

Lut. Quia Euangelium quod hodie legitur, refert ſe ad Chriſti Natiuitatem & non Mariæ. Ecce ita aduenerunt mendacia, hoc nullo iam pacto ferendum eſt. 5

Coc. Certe Chriſti natiuitas ſecundum carnem non eſt niſi ex Maria uirgine. Nec eſt genealogia Chriſti niſi per Mariam. Non enim dicimus cum Iudæis infœlicibus, Chriſtum ex ſemine Ioſeph natum eſſe, ſed dicimus cum ſancto Euangeliſta, De qua natus eſt Ieſus qui uocatur Chriſtus.

Lut. Bene admitto ut honoretur, ſed ita ut ſcriptura non fiat mendax. 6

Coc. Honor Mariæ ſcripturam minime mendacem reddit, ſed impius & Iudaicus Mariæ blaſphemator, detrahēdo matri Domini, detrahit & ſcripturæ ſanctæ, quæ dicit. Beatam me dicent omnes generationes. Luc. 1. Item, Beatus uenter qui te portauit, Luc. 11.

Lut. Item epiſtolam quoque ſuper eam retulerunt, quæ tamen ſolummodo ſuper diuinam ſapientiam refertur, quæ Chriſtus eſt, qui fuit ante ſæcula, in quo omnia creata ſunt. 7

Quod nunc trahitur ſuper matrem Dei, hoc omnino mendacium eſt, & blaſphemia in Deum.

Coc. *Non opus eſt, ut omnia uerba epiſtolæ referantur ad Mariam, ſicut nec omnia uerba Euangelij. In feſtis enim ſanctorum, non ſolum ſanctos, ſed & Deũ laudamus, & quidem principaliter. Varie enim laudatur a nobis, iam in ſeſe, iam in ſanctis. Quomodo autem ſano intellectu referenda ſit illa epiſtola ad matrem Domini, non a Luthero, nec a cæteris Mariæ criminatoribus, ſed a ſanctis patribus diſcendum eſt. Quis uero neſcit, quam impudenter Lutherus multa de Chriſto & eius geſtis atque doctrina ſcripta, ad ſe ſuaque geſta & doctrinam trahit & iactitat? Nonne ait, Doctrina mea non eſt mea, ſed Dei? Nonne & uerba paßionis Chriſti ad ſcelera ſua impie refert? Quando uero corripit inſanum uulgus, quod ei columbam, uelut ſpiritum ſanctum, ad aurem depingit? Sed maior eſt ſua opinione Lutherus quã mater Dei. Quid ita? Se enim Euangeliſtam uocat et Eccleſiaſten, hominumque & Angelorum iudicem conſtituit. Illam uero pauperculam, ſeruilem & nullius meriti uocat ancillam. O Chriſte quando uenit hora & iudicium tuum?*

Lut.

Lut. Idcirco uelim, quod feſtum 8
eius dimitteretur. Quia nihil de ea re
habetur in ſcriptura.

Coc. Sed neque de Vuittenberga quicquam in ſcriptura habetur. Licet igitur Luthero, ut eã dimittat, & Romam ſe conferat, de qua in ſcriptura fit mentio.

Lut. Cum tamen à Chriſto dica 9
mur Chriſtiani, ut ab ipſo ſolo pende
amus, ut ſimus Dei filij atq; hæredes:
& ita ſumus æque tanti, quanta eſt ip-
ſa mater Dei, & ſumus Mariæ ſorores
& fratres. Alioquin fit imminutio ſa-
cro ſanguini Ieſu Chriſti.

Coc. Non ſolum æque magnus ſed etiã multo maior eſt (ſi ei credamus) Lutherus quam mater Dei, ut ſupra oſtenſum eſt. Nam & uerbum Dei commiſit ei Deus, quo nihil ait eſſe maius neque in cælo neque in terra. At nondum eſt de eo, ſicut de illa, ſcriptũ, Beatam me d cent omnes generationes: Cum damnatum potius dicant omnes nationes, exceptis aliquot Germanis.

Lut. Quia per hunc ſanguinem, 10
omnes pariter expurgati ſumus a pec
catis, ac poſiti in cæleſtia bona: Si hoc

itã

ita eſt,ſumus certe eque ſancti, ſicut ipſa.

Coc. Et ſi millies diceret Lutherus certe, inter mille tamen ne unus quidem, niſi Iudaicus forte blaſphæmator, dicet in conſcientia ſua, ſe tam ſanctum eſſe, qnam eſt mater Dei. Non enim ſequitur, Chriſtusredemit nos omnes, ergo omnes æqualiter ſumus ſancti atque beati. Chriſtus enim unũ ſuper decem ciuitates, alterum ſuper quinque. Lucæ.19.conſtituit. Eo, quod unus plus et melius quam alter negociatus ſit, unuſquiſque ſecundum propriam uirtuem, Mat.25.

11 Luth. Item in Salue, qualia ſunt ibi uerba, quæ ei attribuuntur? Salue regina miſericordiæ, uita, dulcedo, & ſpes noſtra. Nonne hoc eſt nimium? Quis de hoc reſpondebit?

Coc. Tota nimirum reſpondebit Eccleſia, quæ ubiq; tam frequenter pio & antiquo ritu, tempore ueſpertino, hymnum illum legere ac decantare ſolet. Nam ad longe minores, ac tum meritis tum dignitate inferiores, quâm ſit mater Dei, ſimilia uerba locutus eſt Paulus. Ita enim ait ad Phil. cap. 4. Itaq; fratres mei chariſſimi & deſyderatiſſimi, gaudium meum & corona mea, ſic ſtate in domino

no chariſsimi, & ad Theſſalonicenſes. Quæ eſt enim (inquit. 1. Theſſ. 2.) noſtra ſpes aut gaudium aut corona gloriæ? Nonne uos ante dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum eſtis in aduentu eius? Vos enim eſtis gloria noſtra & gaudium.

Lut. Ita eſt etiam cum Regina cæli, Hoc etiam non eſt melius, in quo nominatur regina cæli, nonne hoc eſt Chriſto iniuriã facere? Quod hoc tribuitur alicui creaturæ, quod tamen ſoli Deo pertinet & debetur. 12

Coc. *Dicat ergo nobis Luth. ubi Chriſtus Regina cæli dicatur? Quæ eſt autem iniuria Chriſti, ſi mater eius a nobis regina cœli dicatur? Eſt ne ibi ſerua aut ancilla? Si ſocia paſsionum fuit, cur non ſit & conſolationis 2. Corinth. 1? Si compaſſa eſt, cur non & conglorificetur, Roman. 8? Cur non conregnet, ſi ſuſtinuit. 2. Timo. 2? Si pauper fuit ſpiritu, cur non ſit eius regnum cælorum? Mat. 5. Lucæ. 6. Non igitur ſolum cæli, ſed & cælorum regina recte dicitur.*

Lut. Ideo deſiſtamus à uerbis impudentibus, Libenter eam habere uolo ut pro me oret, ut autẽ debeat mea eſſe conſolatio et uita, hoc non uolo. 13

Coc.

Coc. Ego *uero ſummis uotis deſydero, ut illa mihi ſit (ut eſt) conſolatio in anguſtijs & uita in periculis,* Nō *enim dormit in abdito loco, ut im pie ſomniant* Pighardici *Lutherani, ſed uiuit coronata in cælo,* De *qua intelligit* B. *Bernardus in Apocalyp. dictum cap.* 12. *Signum magnum apparuit in cælo. Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum* 12. *Cur igitur uitam meam non dixerim eam, ſi mortuo in peccatis, à filio ſuo uitam impetret mihi?* O *uirum ſtultum & impium, Qui talem dominam non uult nominari uitam, qui uitam & corculum non indignatur uocari meretricem.*

14 Lut. Et tua oratio tam mihi chara eſt, quam illius, Cur ita? Nam ſi credis quod Chriſtus æque in te ſicut in illa habitat, potes æque bene iuuare me, ſicut & illa.

Coc. Quis autem tam impudenter de ſe aut alio peccatore præſumat? Minime *enim ſic habitat in nobis peccatoribus Chriſtus, ſicut in ſua matre* Maria, *quæ iam glorificata conregnat filio ſuo in cælis, ſuper omnes choros angelorum (ut de ea canit ſancta* Mater Eccleſia*) exaltata,*

uidens

uidens Deum ſicuti eſt 1. Iohan. 3. Deſinat igitur ab impietatibus iſtis Lutherus. Nullus noſtrum ſine peccato & macula eſt, ſicut illa eſt. Nullus noſtrum tot fulget meritis, nullus tanta pollet gratia. Impia ergo eſt iſta præſumptio.

Lut. Quia non condemnaris, etiam ſi eam nunquā honoraueris, Immo etiam ſi nunquam eius recordatus fueris. Hic autem, ſi uiuos ſanctos neglexeris, damnaberis. Hic habes præceptum, iſtic nullum. 15

Coc. Certe ſi neglexeris eam per contemptum, negliget te filius eius, qui ait Lucæ 10. Qui uos ſpernit, me ſpernit. Et qui præcepit honorari parentes, utique matrem ſuam uult honorari. Quod ſi pueros quoque, propter eorum angelos, non uult contemni, Matth. 18. quanto minus uult contemni matrem ſuam, quæ angelis maior facta eſt, & quam Archangelus Gabriel tam reuerenter ſalutauit uel in terris, antequam eſſet mater Dei facta, Lucæ 1.

Luth. Pro aduocata nolumus eam habere, pro intercedente uolumus eā habere, ſicut alios ſanctos. 16

Coc.

Coc. Dic quæſo Luthere, cum pater omne iu dicium dederit filio, & ipſe non iudicat quenquã, Iohan. 5. Quem poſſumus apud filium iudicem, ha bere meliorem Aduocatam quam ipſius matrem? Adeo ne uilis in conſpectu filij ſui uidetur tibi, ut ſtante te coram tremendo illo iudice, nihil pro te loqui audeat, ſi non peccaueris in ſpiritum ſan- ctum? Ego uero libenter & magna ſpe cum Eccle ſia dico Eya ergo aduocata noſtra &c.

17 Lut. Iam locauerunt eam ſuper om nes Choros Angelorũ, & electo filio eius iniuriã fecerũt et imminutionem.

Coc. Nulla fit iniuria filio, ſi mater eius ſu- pra omnes ſeruos eius & miniſtros locetur: Ad quam pater tam honorificũ nunciũ, priuſquam ma ter eſſet, legauit. Si enim ad eam inclinauit ſe Ga- briel, fortitudo Dei, anteq̃ eſſet Dei mater facta. Quis rogo angelorũ ei ſe nõ inclinet, & ſub ea lo cari dignetur, poſtq̃ non ſolũ facta eſt mater Chri ſti angelorũ Domini, multisq́; meritis et erga Deũ & proximũ & erga illius humanitatẽ inclyta, & doloris gladium in corde propter illum perpeſſa, ſed etiam exuta mortalitate in æternam gloriam eſt recepta? Quis angelorum ei ſe æquiparet? Quod autem æquiparat ſe illi Lutherus, non cu- ro, Quandoquidem & angelorum ſe iudicem con ſtituit.

ſtituit. Cæterum locatio matris Chriſti præfigurata uideri poteſt in ſcriptura. 3. Reg. 2 ubi dicitur: Poſitusq; eſt Thronus matri Regis, quæ ſedit ad dexteram eius. Nam rex Salomon non raro Chriſtum in ſcripturis repræſentat.

NARRATIO FACTI.

HVc uſque reſponſum ſit breuiter ad quoſdã Lutheri articulos, ex uno hoc eius ſermone excerptos: non ſane ad omnes, quoniam multo plures reprehenſi ſunt, atque adhuc longe plures repræhendi poſſent in eodem ſermone, ſiquis exacte uelit omnia expendere, quæ ab eo erronee & ſcandaloſe prolata fuerunt. Mihi breuitatis gratia ſatis fuit, ex iniuncto officio quondã 500. ex 36. ſermonibus eius extraxiſſe & paucis confutaſſe. Eo autem tempore nondũ ædita fuerat neq; Latine neq; Teuthonice prolixa Lutheri Poſtilla, ingens uolumen, & immenſum errorum & impiæ doctrinæ mare. Quod paulo poſt perniciosiſſime, maxima cum iactura & animarum & pecuniarum in orbem euulgatum fuit, uelut Phiala quædam plena iracundiæ Dei, errorum & impietatum atque maledictorum undiq; ſcatens & referta. Quæ profecto Germaniæ ueram pacem

unitatemque & concordiam nunquam reſtitui per mittet, quam diu ipſa hominibus permiſſa fuerit, adeo communis & uulgaris omnibus facta, ut nūc uulgo domeſtica Poſtilla uocitetur. Quum igitur Luthero permiſſum fuerit, impune tot annis in ſu perbia & maledicentia perpetuoque nocendi ſtu dio progredi, maledictiſque & calumnijs quosli bet inceſſere, proſcindere, obtundere ac ſuperare, uſque in mortem ſuam, ipſe profecto Germaniam per libros & prædicationes ſuas, in tantas incom moditates Reipub. in tanta rerum omnium detri menta, & in tanta apud externas Nationes impro peria, probra & ſcandala induxit (proh dolor) quanta nullus Germanorum ante eum unquam in duxiſſe comperitur. Complices tamen & diſcipu li eius nondum deſiſtunt, nec ceſſant ſeductis per tot annos populis pertinaciſſime perſuadere, hu iuſmodi doctrinam Lutheri merum & uerum E uangelium eſſe, nihilque aliud continere aut doce re quam præcepta Chriſti & Apoſtolorum eius. Idque tanta cum proteruia & impudentia faci unt, utriuſque poteſtatis iudicium, cenſuram, ordi nationem & interdictum obſtinate ac ſeditioſe cō temnentes, & pro nihilo habentes omnem Genera lis Concilij Tridentini Determinationem, atque etiam publicum ordinationem & reformationem

qua

quæ hoc anno authoritate publica totius ſacri Ro. Imperij *Auguſtæ, diuturna cōſultatione facta eſt: ut magnopere timendum ſit, ne* Deus *longe adhuc durius grauiusque propediem puniturus ſit, propter impœnitentiam & Pharonicam indurationem huiuſmodi hominum, uniuerſam* Germaniam, Cum *hactenus per tot eius uirgas paternas uariaſque plagas, quibus nos crebro admonuit & corripuit, noluerimus emendari.* Deus *omnipotens &* *miſericors* Dominus, *Pijßimus pater noſter, adiuuet ac liberet nos ab his et uniuerſis malis* In *quæ patriam noſtram fraude inimici præcipitauit hæc proterua & ſæpius ante hac damnata doctrina* Lutheri. *Timeo enim ſeuerum illud Apoſtoli uerbum.* Ignoras *(inquit) quod benignitas* Dei *ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duriciam tuā & impœnitēs cor, theſaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicij* Dei, *qui reddet unicuique iuxta opera eius.* Rom. 2.

CANTICVM LAVDIS, SEQVENTIA DICTVM.

Quod Eccleſia canere ſolet in feſto Aſſumptionis Mariæ Virginis.

COngaudent Angelorum chori glorioſæ uirgini. Quæ ſine uirili commixtione genuit. Filium qui ſuo mundo cruore medicat. Nam ipſa lætatur, quod cæli iam conſpicatur principem. In terris cui quondam ſugendas uirgo mammillas præbuit. Quã celebris angelis Maria Ieſu mater creditur. Qui filij illius debitos ſe cognoſcunt famulos. Qua gloria in cælis iſta uirgo colitur, Quæ Domino cæli præbuit hoſpitium ſui ſanctiſſimi corporis. Quam ſplendida polo ſtella maris rutilat. Quæ omnium lumen aſtrorum & hominum atque ſpirituum genuit. Te cæli regina hæc plebecula pijs concelebrat mentibus. Te cantu melodo ſuper æthera una cum Angelis eleuat. Te libri uirgo cõ

cinunt

cinunt Prophetarum chorus iubilat Sacerdotum, Apoſtoli Chriſtiq; mar tyres prædicant. Te plebis ſexus ſequi tur utriuſq; uitam diligēs uirginalem, cælicolas in caſtimonia æmulans. Eccleſia ergo cuncta te cordibus teq; car minibus uenerans. Tibi ſuam manifeſtat deuotionem precatu te ſupplici implorans Maria. Vt ſibi auxilio circa Chriſtum Dominum eſſe digneris per æuum.

Hoc ego Canticum, abſq; multis et feruentibus lachrymis, in theutonicum uertere nō potui, dum imo corde recolerem, quanta pietas & deuotio, ante Lutheri tempora, apud nos Germanos, in omnibus paſſim Eccleſijs & Monaſterijs ubiq; fuerit, & q̄ bene ac fœliciter habuerit, florueritq; in omnibus bonis Germania, quamdiu celebria et ex cordis intimis uiſceribus deuote deprōpta Cantica, in laudem Mariæ pijs meditationibus concinnata, fuerunt generali conſuetudine obſeruata, ut uere ac merito Cæſarea Maieſtas, hoc anno nuper Auguſtæ in Comitijs, tanquam pius Clemens & fidelis pater, in publica propoſitione ſua, non temere nec

Cantica Mariæ male abolita apud Hæreticos.

ſine cauſa Principes Electores aliosq́; Principes et ſtatus Imperij, clementiſſime atq; omnino pie & paterne admonuerit Germanice, in hanc uerborum ſententiam, ut ſequitur inter multa alia.

EXHORTATIO CAROLI V. IMP. AD OMNES

Principes & ſtatus ſacri Rom. Imperij, Auguſtæ in Comitijs Die XIIII. Ianuarij publice propoſita & perlecta.

EST igitur Maieſtatis ſuæ benigna clemenſq; petitio ad principes Electores alioſque Principes & ſtatus, ut hoc ponderoſum ac neceſſarium Punctum, Chriſtiano amore & zelo proponere atq; tractare uelint, omneſque alias affectiones ſeponere, & hic conſyderare, quantum uniuſcuiuſque interſit proprie, ut hæc pernicioſiſsima diſcordia religionis abſcindatur atque tollatur, & laudabilis Natio Germanica rurſus ad Chriſtianam unanimemque concordiam & unitatem reducatur. Atque in hoc

Pernicioſa in religione diſcordia.

unuſ-